Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

vestigia derelicta que veri viri sancti
et perfecti fuerunt qui tam strenue mili-
tantes mundum suppeditaverunt Iam
magnum putatur si quis transgressor
non fuit Si quis quod accepit cum
paciencia tolerare potuit O teporis
et negligencie status nostri quod tam cito
declinamus a pristino fervore et iam
tedet vivere pre lassitudine et tepore
Utinam in te penitus non dormitet pro-
fectus virtutum qui multa sepius ex-
empla vidisti devotorum De exer-
ciciis boni religiosi Capitulum 19m

Vita boni religiosi omnibus
virtutibus pollere debet ut sit
talis intus qualis videtur
hominibus foris Et merito multo plus
debet esse intus quam quod cernitur foris
quia inspector noster est deus quem summope-
re vereri debemus ubicumque fuerimus et
tamquam angeli in conspectu eius mundi
incedere Omni die renovare debemus
propositum nostrum et ad fervorem nos
excitare quasi hodie primum ad conversionem
venissemus atque dicere Adiuva me
domine deus in bono proposito et sancto
servicio tuo Et da michi nunc
perfecte incipere quia nichil est quod
hactenus feci Secundum propositum nostrum
cursus profectus nostri Et multa dili-
gencia opus est bene proficere volenti
Quod si fortiter proponens sepe deficit
quid ille qui raro vel minus fixe
aliquid proponit Variis tamen modis
contingit desercio propositi nostri et
et levis omissio exerciciorum vix
sine aliquo dispendio transit

Iustorum propositum in gracia dei pocius
quam in propria sapiencia pendet in quo
semper confidunt quicquid arripiunt
Nam homo proponit sed deus disponit
nec est in homine via eius Si pietatis
causa aut fraterne utilitatis proposito
quandoque consuetum omittitur exercicium
facile poterit postea recuperari
Si autem tedio animi vel negligencia
faciliter relinquitur satis culpabile est
et nocivum senciebitur Conemur quantum
possumus adhuc leviter deficiemus
in multis Semper tamen aliquid certi
proponendum est et illa precipue que
amplius nos impediunt Exteriora
nostra et interiora pariter nobis scru-
tanda sunt et ordinanda quia
utraque expediunt ad profectum Si
non continue te vales colligere
saltem interdum et ad minus semel in
die mane videlicet aut vespere
Mane propone vespere discute mores
tuos qualis hodie fuisti in verbo
opere et cogitacione quia in hiis se-
pius forsan deum offendisti et pro-
ximum Accinge te sicut vir contra
diabolicas nequicias Frena gulam
et omnem carnis inclinacionem facilius
inclinabis sive frenabis Num-
quam sis ex toto ociosus sed vel le-
gens vel scribens vel orans aut
meditans vel aliquid utilitatis pro communi
laborans Corporalia tamen exercicia
discrete sunt agenda nec omnibus
equaliter assumenda Que communia
non sunt non sunt foris ostendenda
Nam in secreto tucius exercentur